

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LVII. Aliæ complures justiſimæ cauſſæ, ob quas æquiſimus totius Mundi Gubernator homines, etiam chariſimos, tentari vexariq[ue] permittit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Cap. LVII. Alia causa, ob quas homines tentantur. 619
amà fide Catholica apostatarunt, alijs omnem in Religione sus-
tinentibus vitæ austoritatem; ut appareret, multum inter vinum
& vappam interesse.

C A P V T L V I I .

Alia oomplures justissima causa, ob quas equissimus totius
Mundi Gubernator homines, etiam charissimos,
tentari vexarij permittit.

Sæuola olim dixit: Et facere, & patifortia, Romanorum I.
est. Nec Romanorum tantum, sed prorsus omnium Liuius dec. 1.
virorum magnorum. Ignotus est Hercules, si fortia lib. 2.
non & fecisset, & sustinuisse. Iuno, dum in eum tot monstra-
immisit, clarum fecit. Non enim à segnitie atque otio, non à
delicijs & voluptate, sed à duodecim laboribus suis celebratur,
Igitur fortitudinis est pariter, & honoris palæstra, tentari. Sic
enim offertur & certandi occasio, & vincendi, gloriamque con-
sequendi ansa. Atque hoc ipsum Seneca spectaculum dignum Senec. lib. de
appellat, ad quod respiciat intentus operi suo Deo, nempe prouid. cap. 2.
virum fortem cum mala fortuna compositum, nihilque in terris
habere pulchrius affirmat, si conuertere animum velit, quām vt
spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem, & ni-
hilominus inter ruinas publicas erectum. Et qua re magis ille
patientiae Deus & solatij, in terris, gauderet, quām militum
suorum fortitudine, victorijsque contra Orcum & Mundum
reportatis? Quare alia magis lataretur, cām nullā magis lau-
detur? nullam magis amet? Eamdem ob causam, & illi, qui
Deum impensè amant, nihil scientiis querunt, quām vt, pro
nomine eius, contumeliam pati digni habeantur. Seruo enim
fidelis nihil est jucundius, quām id praestare, ex quo jucundita-
tem capere & oblectari dominus sūns possit. Neque id semel
dumtaxat, sed in omni vita; immò & in ipsa morte ac tormentis.
Hic ille est fructus pacatissimis iustitia, quem exercitati in Hebr. 12. 11.
disciplina percipiunt, licet in præsentि videatur non esse gaudij,
sed inceroris. Quemadmodum enī in gymnasij exerceitati,
dum in arena versantur & luctantur, inque ipso certamine, ob
spem victorij & brauij, incredibilem quamdam animo latitiam

l i i i per-

- S. Augustin. persentiscent; ita justi, certi de futuris gaudent, vt ait D. Augustinus, & ideo patientes in tribulatione sunt. Hoc est, quod Paulus in Psal. 81. patientes jubet esse spe gaudentes, & ipse Seruator, quia merces eorum copiosa est in celis, gaudere Apostolos jubet. Tametsi enim gaudium sit de bono praesenti, ea tamen est Christianæ fidei speique certitudo, vt res etiam absentes repræsentet. Hinc Petrus hortatur communicantes Christi passionibus gaudere. Hinc illa Pauli ad Philippenses vox est: Sed & si immolor supra sacrificium fidei vestra, gaudeo, & congratulor omnibus vobis; idipsum autem & vos gaudere, & congratulamini mihi. Imitati sunt hoc omnes, qui cum Davide dixerunt: Inclinaui cor meum ad facias justificationes tuas in eternum propter retributionem. Hoc censeturum est, quod Dominus dandum, in tempore hoc, cum persecutionibus, pronuntiavit. Quod de spirituali gaudio interpretantur S. Gregorius, Augustinus, Cassianus.

II. Exemplum illustre huius gaudij fuit Arnulphus monachus S. Greg. hom. Ordinis Cisterciensis, quem Hieronymus Platus scribit, in summis morbi cruciatibus, non, more Stoicorum, sed Christianorum, S. Augustin. dixisse, Quam suave est! Nam cruciatus acerbissimos, affirmabat epist. 89. q. 4. Cassian. Col. sibi dulcissimos esse, propter spem cælestis retributionis. Quin lat. vlt. c. vlt. & dicebat, se hos ipsos dolores, centupli loco, habere, & hac Plat. lib. 3. de doloris acerbitate carere nolle, non modò pro illis, quas reli- bon stat. re. lig. cap. 13. & querat, opibus (erantque non exigua) sed etiam, si centum- 38. partibus fuissent ampliores. Si igitur operarium non piget labo- ris, spe denarij diurni; si miles per tela, per ignes, per hostes ruit, affectus præda & adeptione spoliorum; cur nos non potius, cum enumeratis, gaudemus, & Deo gratias agamus, cum ingruit tentatio, aut tribulatio, quæ est quædam lucrandi cæli occasio, quam ut diuinam prouidentiam protectionemq; calumniemur? Nullus opifex accusat eum, à quo illi labor offertur. Laborem querit, vt mercedem inueniat. Noa tam laborem Devs, cum tentari nos finit, quam mercedem cogitat præparare. Et querimur? & lucri causam Conditori nostro opprobramus? Quod si per totam vitam lucrari cælestem gloriam consultum est, cur non sit etiam in morte? Laborat tunc maximè aduersarius no- Apoc. 13. 12. ster, videns, quia modicuno tempus habet, quo nos perdere possit;

CUP

eur non & nos tunc vellemus pugnare, quando nobis modicum tempus superest, ad coronas in cælo multiplicandas? Si tentationum & præriorum momenta rectè inter se se conferre volumus, nimis exiguae dicemus esse quascumque tentationes, quæ in tantæ gloriae transeunt perennitatem. Certè Theodorus Theod. Studita scribit, passiones huius temporis, quia non sunt conditae serm. 68. Rom. 8. 18.

gnæ ad futurā gloriam, diuinâ quadâ negotiatione commutari. Quem pœnitet plumbum expendere pro auro? stipulam pro gemma? diuitem vult facere Dvvs, quem sinit incidere in calamitatem; gloriosum, cui vel in ultimo spiritu offert vincendi occasionem. Et sane, quam diu in mundo vivimus, sine tribula- Thom. de
tione, & temptatione esse non possumus, ait S. Scriptor. Ac rursus: Kemp lib. 1.
Non est alius Ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, ubi non sint de lmit. c. 13.
tentationes, vel aduersitatis. Non nesciunt hoc servi Ds, quia experientur.

Itaque ob immissas tentationes, illi solum scandalizantur, III.
qui vias Ds ignorant; electi, teste Augustino, & ad ciuitatem. Ang. 4. de
Ds pertinentes, gaudiū percipiunt, propter ius, quod se ad illius ciuit. cap. 7.
possessionem habere, inde intelligunt. Sciant enim, vt ait Ber. S. Bern. serm.
nardus, per multas tribulationes oportere nos intrare in regnum 16. in Psal. 90.
calorum. Sed neque illud nesciunt, Dominum Dvum esse cum Act. 14. 22.
homine in tribulatione, & juxta hos, qui tribulato sunt corde. Psal. 90. 15.
D. Paulus ad tertium usque cælum raptus, prodigiosis tamen se 2. Cor. 12. 2.
tentationibus urgesi sentiebat, stimulo carnis, & ab Angelo sa- S. Ambros.
tanæ colaphizari. Nempe, vt D. Ambrosius obseruat, tentatio- de 42. man-
nes etiam perfectissimis, velut custodia quædam humilitatis ad- fication. in de-
hibentur. Sicut enim caro, quamvis præcipua sit, nisi sale asperga- tur, corrumpitur; ita & anima, quantumvis perfecta, nisi assiduis saliatur temptationibus. relaxatur. Atqui est tentatio non medicina Ecl. 27. 6.
tantum, sed etiam probatio. Qui enim in temptatione Ds ser- Zach 13. 9.
vit, seruus est utilis, & fidelis: neque iam mercenarius, sed quo- Sapi 3. 6.
dammodo instar volonis, qui proprijs stipendijs militet. Ceteri, Psal. 16. 3.
qui tunc tantum sunt deuoti, quando illis bene est, & quando
sunt in tranquillo, similes sunt ranis tantum coaxantibus, quan-
do serenum est cælum. Confitetur sibi, cum beneficeris ei. At Psal. 48. 9.
Iob in medijs tribulationibus, sicut & Tobias, & ipse David,

Illi 2 Do-

Thom. de Kemp. l.1. c.3. Dominum suum laudauerunt. Itaque, vt ille ait, sunt tentationes homini sape valde utiles, licet molestae sint, & graues; quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes Sancti per multas tribulationes & tentationes transferant, & profecerunt. Et qui tentationes sustinere nequinerunt, reprobi facti sunt, & defecerunt.

IV.

Sed triplex est, DEVUM, in temptatione & tribulacione, laudandi modus, seu gradus. Sunt, qui etsi non ament aduersis jactari, immo etsi horreant, & declinent; tamen potius ferre ea patienter velint, quam delinquere. Sunt, qui quidem haud appetant pati, tamen & patienter & libenter mala tolerant, in quae inciderunt. Sunt denique adeo diuino amore incensi non pauci Sancti, vt Dei causâ mala omnia sustinere, etiam morientes desideratissimè concupiscant. Si enim, vt D. Gregorius docet, mens in DEVUM forti temptatione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat; omne, quod affligat, requiem putat. Artium omnium diuinissima est, in aduersis gaudere. Quod non potest, qui non intelligit, secundas res esse nobis plenumque aduersas, & aduersas esse secundas. Non ergo desiderantur aduersa, quia mala; sed quia bona est malorum patientia. S. Augustin. *Quis velit molestias & difficultates pati?* ait S. Augustinus: tolerari jubes eas, non amari. Nemo, quod tolerat, amat, et si tolerare amat. *Quamvis enim gaudeat, se tolerare, manut tamen non esse, quod toleret.* Monet D. Thomas, non esse simpliciter appetendum, tentari, sed hoc simul & vincere; quia victoria, propter fragilitatem nostram nimis ambigua est; præsertim si tentatio non sit tribulatio mera, sed etiam à carne, mundo, diabolo suggeratur; quæ tentationes sunt longè periculosiores. Vnde nemo sapienter petit desideratue, vt à carne, vel mundo, vel diabolo tentetur; quamvis in genere etiam (quod scilicet non sit supra vires à Dño suppeditatas) multi desiderent aliquid pro Dño suo pati. Id ergo quicumq; desiderant, vtiq; nec Conditorem Gubernatoremque suum, neque judicia eius iniuritatis accusant. Sciant nimis, castigationem esse diligentis; & crucis mille occasionem esse coronam imponere cupientis. Non odit, sed diligit, qui usque ad extremum halitum alterum perficit. Quid enim? An Christum Filium suum Devs odit? aut Christus Patri suo

calu-

calumniam impegit crudelitatis? Nequaquam, sed proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Quin & in summa Transfigurationis *Luc. 9. 30.* gloria loqui cœpit de summa tribulatione excessus, seu mortis suæ. Item passionem suam, Calicem & baptismum appellauit, *Luc. 12. 50.* coarctarique se dixit, ut illum biberet; & in cruce ipsa pendens adhuc se sitire, calicem scilicet Passionis, palam testatus est. *Di-* *Ioan. 19. 28.* *xit præterea, se desiderio desiderasse manducare Pascha cū disci-* *Lue. 22. 15.* pulis, illud nempe, post quod ad mortem iturus erat, qui etiam spe- cietriumphantis in Ierusalem intravit cùm immolandus esset. Itaq; aliter de tribulatione & temptatione, diuina Sapientia, Dei Filius, quām filij huius sæculi, judicauit, Quem proinde imitantur, *Luc. 22. 18.* qui cum eo permanent in temptationibus suis; aut qui cum Paulo, seruiunt Domino cum temptationibus: sciunt enim etiam Christus ipsum tentatum fuisse per omnia. *A&tor. 20. 19.* Igitur si nihil aliud effi- rent temptationes, tamen vel hinc meritò permetterentur, quia Dei Filio nos assimilant, dum cùm illo, velut cum Duce milites ynà pugnamus.

Quamuis & aliæ causæ suppetant. Faciunt temptationes ad gloriam Dei manifestandam, vt in cæco nato accidit: puniunt & emendant, vt sororem Moysis lepra; conseruant in iustitia, timore Dei atque humilitate, vt Paulum stimulus carnis: au- gent virtutem, & coronam, vt in Iob, Tobia, & omnibus Mar- tyribus. Et quamuis in Herode, Antiocho, Pharaone alijsque plagæ illorum inchoatio quædam æternæ penæ, atque vel hinc admonitio quædam fuerint; norunt tamen filij Dei, multas esse *Psal. 33. 20.* tribulationes justorum, quia sciunt plagiis vti. Hinc eas æsti- *Judith. 8. 24.* mant, non cavillantur, more eorum, qui temptationes non susce- perunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & imprope- rium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exter- minatiq; dicuntur ab exterminatore, & à serpentibus perisse. Si non marmorassent, si quod meruerūt, & quanimitatem tulissent, in ipsa tribulatione & auxilium, & solatium sensissent. Sinit enim multos Deus, vel ob suam, vel ob suorum parentum culpam ve- xari, quam vexationem si sustineant, vel etiam grauissimas ten- *Cæsarius, l. 4.* tationes incredibili mentis gaudio compensat. In Vilaro pro- fessus religiosum fuerat unus de illorum numero, quos *Connuersus cap. 31.*

V.

Ioan. 9. 3.
Num. 12. 10.
2. Cor. 12. 7.

vocant; nomen illi erat Henricus; sed natales non sine nota. Quia omnes sciebant, eum esse Domini Christiani de claustro monachi filium. Ne tamen maliciæ corui malū ouum existimaretur, originis sive infamiam, morum probitate correxit. Fuit enim profundæ humilitatis, robustæ patientiæ, & magnæ charitatis homo. Hinc summā diligentia pauperibus in domo hospitali seruivit. Hinc cum ægris & dolentibus doluit, nec quidquam de officio charitatis omisit. Hinc, cùm spurius passim audiret, haud aliter sensit, quād si laudaretur. Inuidit tantæ virtutim alias dæmon, quare validum simplicitati hominis arietem admodum, & ea parte qua tiendum censuit, qua sæpe ipse fuerat verbigeratus. Iniecit enim illi tentationem desperationis, & identidem dixit: *Quia non es filius legitimi tori, non eris heres caelestis regni.* Quasi eadem esset in diuinis, quæ est in humanis oculis inhonestas. Et locum inuenit tentatio, identidem enim animo recurrat, sic generatum, ut ab hominibus despctus est, ita nec Deo placere posse. Hæc cogitatio tanto eum magis afflxit, quanto magis timuit ab intimè amato Deo separari. Et quod simplicitati coniunctum esse solet pertinax judicium, qui ei à sacra confessione erat, neque diuinarum litterarum, neque exemplorum medicinâ ei potuit aspergere ullam consolationem. De cælo curandus fuit, ne tristitia succumberet. Igitur misertus eius Dominus, nocte quadam, cùm tentatio esset validissima, in dominum amplam & longam illum transfluit, in somnis tamen; in qua vidi de utroque sexu multitudinem magnam, & facta est ad eum vox: *Henrice, viades hanc multitudinem?* Omnes quidens de legitimo toro sunt nati, sed omnes reprobri præter te sunt. Enigilans statim latificatus est valde, intelligens visionem propter se factam. Ab illa hora tentatio immissa cessavit; & ipse, quād dñs vixit, Deo, qui non deserit sperantes in se, gratias egit. Magna est hæc, in ipsa tentatione consolatio, sed non necessaria. Quia multis potest, inter spem & metum fluctuare, ut hinc humilietur, dum inde eriguntur; & inde rursus erigantur, dum hinc humiliantur. Militis est, strenue rem gere, & pugnare pro victoria, tametsi vinci possit. Audi magistrum pietatis. *Cum quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice morore confectus, in Ecclesia, ante quoddam altare*

Thom. de
Kemp. lib. I.

altare se in oratione prostrauisset, hac inter se renoluit dicens: *O sis i-*^{de Imitac-}
rem, quod adhuc perseneraturus essem! statim quod, audinit intus diuinum Christi, c. 15:
responsum: Quid, si hoc scires, quid facere velles? *Fac nunc, quod*
tunc facere velles, & bene securus eris. Moxque, consolatus & confor-
tatu diuina se commisit voluntati; & cessavit anxia fluctuatio; no-
luit quod, curiosè inuestigare, ut sciret, qua sibi essent futura; sed magis
fuduit inquirere, qua esset voluntas Dei beneplacens, & perfecta ad
omne opus bonum inchoandum, & perficiendum. Plura de tentatio-
nium caussis afferri possunt, sed ea jam sunt ab alijs disputata.

Quo in genere argumenti pia eruditione versantur D. Athana-
sus, Pyamon apud Cassianum, Theodorus Studita, Hesychius,
Cyrillus Alexandrinus, Auctor tractatus de rectitudine Catho-
licae conuersationis, Gulielmus Parisiensis de tent. & resist. c. 1.
& alij exemplares, qui tentationes Deo esse gloriofas demon-
strant, sive vincant, sive vincantur, nam aut justitiam eius, aut
misericordiam ac benignitatem manifestant: vt proinde cum
*Clemente Romano dicere possim: *Quid agitis, ô homines? blasphematis?* &c. *Definite; queso, ab huicmodi blasphemis, & qui sit Deo*
*dignus honor, intelligite.**

C A P V T L V I I I .

Nullum tam profundum esse peccatorem, qui veniam à Deo
non posset consequi; quantum sit vis Crucis, contra damones
& tentationes carnis, vel desperationis, etiam in extremo
agone, usurpanda?

Gnter itinerum pericula est illud non minimum, quod
se se obijciant paludes, & fossæ, quibus sæpe & homi-
nes, & equi mergantur atque hauriuntur, in quas quod
quis profundiùs subsidit, diffiilius se se extricat, aut emergit;
quod vehementius eluctatur, lassatur magis, & multi se se non
expedirent, nisi aliorum ope extraherentur. Ita contingit pec-
catoribus, quod & sibi testatur David accidisse, cuius est illa-
*querela; immò oratio: *Saluum me fac Deus; quoniam intrane-**

Psal. 68. 3.

runt aqua usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi: &
non est substantia. Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit

me.

I,

S. Athanas.
orat. 1. conte.
Arian..
Cassian Col-
lat. 18. c 13.
Theod. Stud.
serm. 59. & 118.
Hesych. 1. 2 in
Leuit. cap. 7.
Cyrill hom.
Ephesi habi-
ta. Auctor.
tract apud
S. August.
lib. 9. tract.
20. Clem.
Rom lib. 5.
Recognit.